6

Q. D. B. V

DISPVTATIO PRIOR DE POENIS OCCVLTE SVMTIS

QVAM

PRAESIDE

MARTINO HASSEN

POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM AC PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE SACRI ROMANI IMPERII H. T. VICARII CONSILIARIO AVLICO EODEMQVE MORALIVM ET CIVILIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PATRONO SVO PIE DEVENERANDO

AD DIEM IVLII A. R. S. MDCCXLV

INSTITVET

AVCTOR RESPONDENS

M. DANIEL HENRICVS ERNESTI

SCHREBIZ. MISNICVS

VITEMBERGAE
EX OFFICINA HAKIANA





§. I



Quoniam de poenis, quae occulte sumuntur, differendum est, poenaeque nomen latissime patet, non alienum uidetur, quae sit poenae notio, docere, quo facilius poenae, quae occulte infliguntur, a lectore possint comprehendi. Poena Graece dicitur ποινή. Praeclare enim Homerus Iliad. γ, u. 263, μαχέσσομαι εἵνεκα ποινῆς, pugnabo poenae causa. In legibus Graecorum poena definitur, ποινή ἐστιν ἁμαρτήματος ἐκδίκησις, poena est peccati ultio. Saepissime etiam ποινή Graece appellatur τιμωρία. Quare Pausanias in Laconicis scribit, τὰς τιμωρίας οἱ παλαιοὶ τῶν ἀνθρώπων ὠνόμαζον ποινάς. Cum uero ποινή a ποιεῖν descendat, quod non solum laborare, sed etiam dolorem percipere, significat, teste Guil. Budaeo, in commentar. Lingu. Graec. f. 923, ποινή, Latine poena nominata, laborem, cum dolore coniunctum, designat. Inde Hugonis Grotii definitio prouenit, qui lib II, de I B. et P. cap. XX, §. 1, poenam malum passionis dicit, quod infligitur ob malum actionis. Quae quidem definitio Casparo Zieglero in not ad h. l. p 424, minime probatur, quod Grotius ea modo, quae contra legem committantur, non autem quae omittantur, hac definitione significauerit, sed Culpisius in Coll. Grot. exercit. IX, §. 1, in not ad h. l. collaudat eius sententiam, eamque sic explanat, ut quilibet plenam poenae notionem facile intelligat. Etenim existimat, actionis uocabulum latius sumi, pro omni eo, quod contra debitum legi, uel homini, seu faciendo, seu omit-

Quid sit poena.

omittendo committatur, ut peccata omiſſionis ſimul comprehendantur. Quo fit, ut multi, Culpiſium ſecuti, definitionem Grotii ratam omnino habeant, additis tantum eis, quae cauſas declarent. At ſunt quidam, qui ab eo ſeceſſionem faciunt, et nouas plane definitiones componunt, quorum in numero Illuſtris Wolffius habetur, qui in Par t. I Phil. Pract. uniuerſ. p. 223, Poenam malum dicit, quod cum actione connectit legiſlator, tanquam motiuum eam omittendi, uel committendi. Si hoc malum, quod cum actione connectit legiſlator, interpretari uelis, dolorem intelligas, quo quiſque, ſi quid delinquit, a magiſtratu afficitur. Iſto uero dolore magiſtratus aliquid boni aſſequi uidetur. Terrorem enim iniicit malis, ut omnes res, quae legibus repugnant, ſummo ſtudio euitent, contra autem ea, quae cum iiſdem bene conueniunt, in rebus expetendis ponant. Haec ſit Wolffii ſententia. Sed cum eadem definitio plurimis minus perſpicua uideatur, in eaque cauſae, quae ad eam concurrunt, praetermiſſae ſint, eam nunc meam facere nolo. Itaque ſequar ea, quae Illuſtris Praeſes in Synopſi ſua p. 691, poſ. 94, propoſuit, et celeberrimus Baumeiſterus in Defin. p. 208, tum pleniora, tum clariora, iudicauit. Ab eo enim poena dicitur coercitio, ſeu ultio delicti, a ſuperiore, aut magiſtratu, ius puniendi habente, certi inflictione mali, ob ciuitatis ſalutem, ac laedentis laeſique utilitatem, rite facta. Nunc, quoniam haec definitio omnia complectitur, quae ad plenam poenae cognitionem pertinent, hinc aſſumam, quae deinceps de poenis erunt dicenda.

§. II

Quis poenam et cui conſtituere poſſit.

Poenae igitur, ut allata modo definitio oſtendit, a ſuperiore, aut magiſtratu, poteſtatem puniendi habente, conſtituuntur. Sed quis eſt ille, quem dicimus ſuperiorem. Is, qui plurimum uel auctorita-

te,

te, uel dignitate ualet, nobis superior non est, sed huic, qui summum magistratum gerit, tribuitur nomen superioris. Potestate enim ferendi leges, uiribusque, quibus ciues, legibus subiectos, cogere possit, gaudet. Plura de hoc scire cupientes remitto ad citatam Synopsin, ubi p. 169, pos. 18, id uberius explicatur. Itaque duplex in tali superiore deprehenditur facultas, una moralis, seu potestas ferendi leges, altera naturalis, seu potestas cogendi. Prima facultas, quae moralis nominatur, nititur iustis imperandi causis, quae tum existunt, cum ciues uel ultro se superiori subiiciunt, uel necessario ex eius arbitrio pendent. Altera uero, naturalis dicta, stabilitur uiribus ad cogendum sufficientibus. Magistratus enim omnium ciuium, qui ei obediunt, uires in sua potestate habeat, ciuesque sic instructi sint, necesse est, ut eius nutu omnes, uiribus ad rem gerendam coniunctis, promti paratique inueniantur. Quemadmodum is, qui summam tenet potestatem, duplici, ut modo commemoraui, pollet facultate, ita cuilibet ciui, huic parenti, duae qualitates tribuuntur. Primo regnanti, qui iure regnum administrat, ciues debent esse subiecti, quae quidem subiectio eisdem fundamentis, atque imperium, nititur, prout a me supra dictum est. Deinde eis facultas capessendi leges, ab intellectu et uoluntate prouenìens, a natura data sit, necesse est, quippe cum unius ope lex et is, qui legem tulit, cognosci, alterius autem ope actiones ad legem componi possint. Quoniam uero hi tantum, qui legibus non obediunt, easque uiolant, poena digni ducuntur, perspicuum est, eas hominibus, ratione pollentibus, esse datas. Itaque neque lex, neque poena, in bruta animantia cadit. Bruta enim, duabus his facultatibus, intellectu uidelicet et uoluntate, carentia, suos habent impetus, et sensu tantum atque appetitu reguntur. Ratione autem, quae demum assequitur, quid lex iubeat, uetet, aut permittat, omnino destituun-

tuuntur. Non desunt quidem eruditi uiri, qui belluis, in aliqua saltem comparatione et analogia, rationem tribuunt. Si enim actiones bestiarum secum perpendunt, in iisque aliquid, quod, uel cum uirtute, uel cum uitio quodam, conuenire uidetur, deprehendunt, in illis uirtutis, uel uitii, imaginem se inuenisse, sibi persuadent. Qua de re perhibent, belluas egregia uirtutis edere simulacra. Sic existimant Laurentius Valla lib. IX, Dialect. et Thom. Campanella lib. VIII, de rebus naturalibus, Cap XVI, item Hieronym. Rorarius libris duobus, quod animalia bruta ratione utantur melius homine, quos primus ex bibliotheca sua edidit, et Puteanis fratribus inscripsit, Gabr. Naudaeus, nouissime autem recensuit, dissertatione historico-philosophica, de anima brutorum, adnotationibusque auxit Georgius Henricus Ribouius, edit. Helmstadii M D CC XXIIX, 8. Plures commemorauit Illustris Iureconsultus, Eric. Mauritius, in dissertatione de Principiis Iuris publici, Cap. IV, Sect. I, §. V, p. 40, in eiusdem dissertationibus et opusculis edit. Argentorati, M DCC XXIV. 4. Conferatur etiam Illustr. Praeses in Synopsi p. 95, pos. 33. Sed falsa ducuntur opinione. Quamuis enim bruta animantia res, quae in sensus incurrunt, sentiant, atque eas, quibus sensus delectantur, expetant, contra uero, quae dolorem afferunt, euitent, nulla tamen his ratio est attribuenda, cum haec omnia ab appetitu, et naturali quodam instinctu proficiscantur. Igitur hoc, quod bestiae, natura impellente, faciunt, ab eo, quod ex mente et libertate uoluntatis prouenit, est discernendum. At quaerat quispiam, cur autem animalia, in grauioribus delictis adhibita, occiduntur. Sic bestia simul cum homine, qui ea, ad flagitium, peccatum Sodomiticum uulgo dictum, est abusus, concrematur. Huic respondetur. Quamquam bestia una cum homine morte perimitur, poena tamen, proprie sic dicta, non afficitur. Nam

fit

fit hoc ideo, ut deleatur tanti facinoris memoria, atque e medio tollatur bestia, ne ignominia hominis, ad supplicium dati, bestia adhuc in omnium oculis uersante, augeatur, multisque sit offendiculo. Videatur hic Mauritius c. l. p. 46. Sic, quando bos apud Hebraeos, qui hominem occiderat, lapidibus in eum coniectis, necatus est, uel talis etiamnum apud nos quocunque modo tollitur, uti, ex sententia Collegii Iuridici hoc praescriptum fuisse, commemorat Carpzouius in Pract. crim. part. III, quaest. CXXXI, n. 22, hoc eo pertinet, ut damnum aliud, ab eiusmodi animali metuendum, auertatur, et dominus, propter neglectam bestiae custodiendae curam, bouis iacturam patiatur, conferatur Io. Seldenus l. I, de I. N. et G. cap. IV. Itaque poena solum est peccantis, peccare autem non est, nisi eius, qui utitur rationali uoluntatis arbitrio, quod in omnibus mortalibus animantibus non nisi homini est diuinitus attributum, ut significanter scribit Mauritius, c. l. p. 46, ubi ex D. Augustino lib. I, de adult. coniug. et pollut. cap. XVI, haec addit uerba, Sed aliud est, cum proprie loquimur, aliud est, cum uerba ex aliis rebus transferendo, uel abutendo, mutamus. In tali utique translatione accipiendum uidetur, quod Petrus Aerodius in rer. ab omni antiquitate iudicatar. Pandect. lib. III, Tit. XVI, cap. I, f. 188, et lib. VI, Tit. VIII, cap. X, f. 332, de poena dicit, ea uidelicet affici non homines duntaxat, qui iniuria, aut bruta animantia, quae impetu, sed etiam res inanimatas, quae pondere ac ruina officiant. Russos olim non bruta tantum, sed inanimatas quoque res, certis identidem affecisse poenis, Adolphus Lyseckus in relat. de legatione Caesarea, Cap. XIX, p. 102, et seqq. narrat, atque exemplis confirmat. In primis capri, qui nobilis cuiusdam, quem Boiarum uocant, filium necauerit, facit mentionem, eundemque ideo primum uerberibus coercitum, deinde exilio multatum, atque in Si-

be-

beriam missum esse, perhibet. Deinceps exemplum affert aeris campani, ob turbatum regnatricis somnum, ex turri deiecta ablati, eodem fere modo castigati, et tandem, post impetratam alterius coniugis augustae precibus ueniam, sed aeternum simul silentium ei iniunctum, humiliore loco repositi. Commemorat etiam de cultro, quem ob uulnus, quod princeps pariter femina ab eo acceperit, in exilium eiecisse, postea uero ob manubrium, ex argento affabre factum, in gazophylacium intulisse, ibidemque in perpetuo quasi carcere asseruasse, scribit. At quis non uidet, id fabulas, de gente optima fingi solitas, redolere. Quodsi ne infantibus quidem et hominibus furiosis, quippe rationis usu destitutis, legum poenae subeundae sint, cur a brutis, nulla omnino ratione praeditis, repetatur poena. Denique, cum ciues imperanti tantum, cui subiecti sunt, dent poenas, satis abundeque apparet, in statu naturali, quippe omnis imperii et subiectionis experte, non ius puniendi, sed tantum uindictam, inuenire locum. Vindicta enim uim ui repellit, et ob acceptam iniuriam a pari infertur. Poena uero multo aliter se habet, et uariis modis ab iniuriae uindicatione differt. Videatur hic Georg. Beyerus in Delin. Iur. naturalis, cap. XXX, §. 7, seqq. et Andr. Adam. Hochstetterus in libro singulari de iure poenarum, §. III, p. 5. Quare nec bellum datur punitiuum, seu poenale, hoc est, definiente Illustri Praeside in Synopsi p. 545, pos. 76, tale, quo summi principes, aut iisdem pares, extraneorum, nec sibi subiectorum delicta, contra Ius Nat. et Gent. admissa, etiamsi nec ipsi, nec eorum subditi, uel socii, ab eis fuerint laesi, nec a laesis in subsidium uocati, punire et uindicare possint. Eiusmodi bellum, ab Hug. Grotio c. supra l, §. XL, et nonnullis eiusdem commentatoribus, saltem sub nomine belli uindicatiui, comprobatum, ex instituto refellit D. Io. Schmidius, Theologus et Philosophus Lipsiensis,

in

in differt. de bello punitiuo, hab. Lipfiae M DCC XIV. Ius autem naturae poenas praecipere, non tantum permittere, ut Grotius pariter c. I. §. I, putat, inter alios recte ftatuit citatus fupra Zieglerus ad h. l. p. 425. Praecipit enim, inquit, naturalis ratio, bona facienda effe, mala fugienda, omnifque lex, etiam ea, quae Naturae eft, facienda praecipit, fugienda prohibet. At fruftra prohiberet lex naturae, nifi etiam gladium et uirgas iudici daret, et punire transgreffores iuberet, cum imperfecta ea fit lex, quae fanctione caret.

§. III

Quas ob caufas poena neceffario infligi debeat

Quoniam, ut modo dictum eft, ipfum ius naturae poenam, uidelicet generatim, non fpeciatim, atque indefinite, non definite, praecipit, facile intelligitur, eam certas ob caufas neceffario inferri, oportere. Tanta enim hominum eft corruptio, ut cum Deum, tum focios, laedere non dubitent. Qua de re Deus quidem, pro iuftitia fua, homines, diuinas humanafue leges uiolantes, malo afficiendos, iudicat. At, cum idem fapientiffimum benigniffimumque Numen lento plerumque gradu ad puniendum procedat, pauciffimi certe a criminibus poenae diuinae metu abftinent. Praefentiffimo igitur opus eft malo, quod eis repraefentetur, qui diuinas humanafue leges migrare aufint, idque in poena confiftit. Hinc hominum improbitas morte, exilio, uinculis, aliifque coercetur malis, ut ea, quae legibus fancita funt, ualeant, et falus publica conferuetur. Graui hoc fententia confirmat Caefar apud Dion. Caffium lib. XLI, ubi Ουτὲ σύστημα ἀνθρώπων, ait, συμμεῖναι καὶ σωθῆναι δύναται, ἂν μὴ κακουργοῦν σωφρονίζεται. Τὸ γάρ τοι νοσῆσαν, ἂν μὴ τὴν προσήκουσαν ἴασιν λάβῃ, συγκάμνει καὶ τὸ λοιπὸν πᾶν, ὥσπερ ἐν τοῖς σώμασι. Latine fic, Neque coetus hominum confiftere et conferuari poteft, nifi male facta puniantur. Aegrotum enim nifi

con-

conuenientem medicinam accipiat, omne reliquum ſimul laborat, ſicut in corporibus. Quantum reipublicae interſit, iuſtas debitaſque poenas a reis exigi, et grauiſſima pro merito ſupplicia de maleficis ſumi, Imperator Maximilianus I probe intellexit, utpote qui loca, ſuppliciis ſontium deſtinata, uenerabundus praeteriiſſe fertur, et his eadem uerbis compellaſſe, Salue Iuſtitia, ut commemorat Philipp. Camerarius Centur. I Horar. ſubciſ. Cap. LXXVI, p. 348. Recte hic uocabulum iuſtitiae fuit adhibitum, cum omnis poena ad iuſtitiam pertinere debeat. Vtrum uero commutatiua, ut uulgo dici ſolet, iuſtitia hic ſubſit, an diſtributiua, non magis attinet diſceptare, quam de ea iuſtitiae ſpecie multum diſſerere, quam Sam. Pufendorfius lib. VIII, de I. N. et G. Cap. III, §. V, poenalis, ſeu uindicatiuae nomine induxit. Meum eſt, hic modo cauſas, cur poena iure exerceri poſſit, enumerare. Seneca Lib. I, de Clementia, cap. XXII, ſcribit, Haec tria in uindicandis iniuriis Princeps ſequi debet, aut, ut eum, quem punit, emendet, aut, ut poena eius ceteros meliores reddat, aut, ut, ſublatis malis, ſecuriores ceteri uiuant. Itaque tres ſunt poenarum fines, quos definitio, ſuperius tradita, pariter comprehendit. Primus eſt utilitas laedentis, ſeu emendatio, Graece νουθεσία dicta, alter eſt utilitas laeſi, h. e. compenſatio, ſeu ſatiſfactio, a Graecis ἀναπλήρωσις nominata, tertius eſt utilitas quorum libet, Graece παράδειγμα, Latine uero exemplum nominata. Sic enim reliqui exempla habent, quibus a ſceleribus deterreantur. Ad tertium ſpectat omnium ſecuritas, qua quilibet, ſiue domi lateat, ſiue in celebritate uerſetur, perfrui poteſt. Triplices hi fines uberius quidem ac fuſius a doctoribus explicantur, uelut ab Hug. Grotio c. l. §. VII, ſeqq. Pufendorfio, c. l. §. IX, et lib. II, de O. H. et C. cap. XIII, §. VIII, ſeqq. Andr. Adam. Hochſtettero c. l. §. IV. Attamen omnes ad unum reduci poſſunt, uidelicet ad tranquillitatis ſecuri-

curi-

curitatisque conseruationem. Etenim si delicta, ad perturbandam reipublicae externam pacem apta, sic puniuntur, ut laedenti uoluntas et facultas delinquendi et nocendi adimatur, laeso damnum, a laedente acceptum, iubente magistratu, restituatur, ciuibusque ceteris terror iniiciatur, omnino ciuitas sarta tecta ab internis eiusmodi malis, adeoque salua et secura conseruatur.

§. IV

Qualis poenae irrogandae remittendaeue ratio hinc existat.

Tali igitur ciuitatis bono metienda sunt ea omnia, quaecunque ad poenae irrogandae remittendaeue rationem pertinent. Sunt uaria poenarum, a rectore ciuitatis constitutarum, atque a naturalibus, ut dici solent, distinctarum, genera. Quaedam eiusmodi poenarum sunt legitimae, certis nimirum criminibus a lege praescriptae, quaedam autem arbitrariae, id est, ex arbitrio iudicis pendentes. Porro in numero poenarum habentur poenae, uel capitales, uel non capitales appellatae, quarum priores capite, uel uita priuant. Namque is, qui poenam eiusmodi subit, morte, uel naturali, animi et corporis dissolutione, uel ciuili, ciuitatis libertatisue priuatione, plectitur. Poenae uero, non capitales nominatae, uel corporis coercitionem, uel existimationis laesionem, uel rei familiaris damnum complectuntur. Equidem eiusmodi poenarum explicatione lubens hic supersedeo, hocque magis, quod ea apud Iuris ciuilis doctores plenissime tradita occurrit. Attamen aliqua eorum breuiter attingam, quae ad meum quodammodo institutum pertinere, autumo. De poenis capitalibus ambigitur, an ciuilibus eae delictis constitui possint. Hoc conceditur quidem, eum, qui alterum dolo interficit, merito morte multari. Nam, cum poena eo etiam spectet, ut damnum, alteri ab altero illatum, restituatur, uita autem reddi non possit, perspicuum est, istum,

qui socium necat, iure a magistratu capite plecti, atque eodem, quod alteri intulit, malo affici. Est hoc tum naturali rationi consentaneum, tum lege uniuersali, diuinitus lata, sancitum. Quam ob causam ne summum quidem imperantem ius ueniam hic dandi habere, plerique existimant. Videatur Adami Rechenbergii disput. de iure Principis Christiani aggratiandi, circa homicidium negato, Lips. M DCC II, Io. Dan. Henrici diss. de homicidio doloso, supra ius aggratiandi posito, Ienae M DCC VIII, et Henrici Bodini Diatribe de non remittenda poena capitali homicidii, addita eius dissertationi de poenis innocentum, Halae M DCC II, quamquam sententia contraria statuitur in Philipp. Ludouici Hannekenii differt. de Iure gratiae principis in reos noxae capitalis, hab. Vitembergae M DCC I, et simul cum Carol. Otton. Rechenbergii dissertat. de Iure aggratiandi circa homicidium, edita Lips. M DCC XII, in Christiani Thomasii diss. de Iure aggratiandi Principis Euangelici in causis homicidii, Halae M DCC VII, itemque in David. Stauinskii differt. de Iure Principis poenas, lege diuina determinatas, mitigandi, uel remittendi, Regiomonti M DCC IV. At uero hanc demum homicidii capitalis poenam esse retinendam, nonnulli putant, nec ad alia delicta applicandam, nisi quibus poenam talem ipse Deus constituerit, utpote qui sapientissimus sit legislator, optimeque sciat, quales poenae ad delictum habeant proportionem. Ita sentire uidetur Hugo Grotius lib. II, de I. B. et P. Cap. I, §. XIV, ubi ualde probabilem iudicat hanc sententiam Scoti, fas non esse, quemquam ad mortem damnare, nisi ob delicta, quae lex, per Mosen data, morte puniuit, addito duntaxat, aut quae his sunt paria, recta aestimatione. Sed diuersarum rerum publicarum diuersa habenda est ratio. Vt enim sapientissimum Numen cum leges, tum poenas, a se praescriptas, ad populi Iudaici statum accommodauit, sic prin-

principem, qui regni ciuiumque suorum indolem bene cognitam habet, poenas ad eam rite conformare, oportet. Nam possunt certa delicta ciuium, pro hominum rerumque conditione, uni Reipublicae magis, alteri minus, nocere, ideoque necesse est, ea diuersis etiam poenis coerceantur. Sic nostris legibus saepenumero hae mortis poenae, quae apud Iudaeos usu uenerunt, haud exercentur. Huic enim, qui parentibus iniuriam intulerat, ex legibus Hebraeorum mortis poena erat perferenda, quod autem multo aliter fit apud nos. Contra, uero nostris legibus quibusdam criminibus, licet hoc ab Hebraeis non fuerit factum, mortis poenae constituuntur, quod et frequentiora, et grauiora existunt, ideoque nimium multis grassantibus opus est exemplo, ut loquitur ICtus Saturninus, l. 16, §. 10, D. de poen. siue, ut ciuili sapientia praestantissimus Symmachus lib. II, ep. XIII, id exponit, tantum denuo legibus seueritatis est addendum, quantum flagitia creuerint. Apparet hoc ex furto, quod apud Hebraeos quidem uel dupli, uel quadrupli, uel etiam pluris, poena uindicari solebat, apud nostros autem poena laquei, uel saltem relegationis, tum simplicis, tum fustium ictibus coniunctae, expiatur. Quod triplex quidem genus poenae cum damnatione ad carcerem publicum, emendandis censura et labore malis hominibus destinatum, siue ergastulum, permutandum esse, nonnulli arbitrantur, ueluti Frider. Krausoldus in discursu Iurid. polit. de miraculis et egregiis usibus S. Raspini, uon den Wunderwercken und uortrefflichen Nutzbarkeiten des Rasp-und Zucht-Hauses, Martisburgi M DC XCVIII, 4. Conf. citati Henrici Bodini dissert. de fustigationis usu nociuo hodierno, Halae M DCC VII, et Iulii Bernhardi de Rohr Einleitung zur Staats-Klugheit, cap. XVIII, p. 523, seqq. ubi non modo fustigationem, sed irrogationem quoque infamiae, amputationem certi membri, aliasque eiusmodi poenas, certis ex caussis

fis impugnat. At uero poenam fufpendii, pro iufta, ac furibus certis, quippe perniciofiffimis publicae priuataeque fecuritatis turbatoribus, debita, habendam effe, doctores Iurifconfultiffimi dudum probarunt, conf. hic Illuftris Praefid. difput. de fufpendio furis, ex ratione naturali et ciuili confiderato, habita hic Vitembergae M DCC XXII. Et, quamquam de ceteris poenis, modo expofitis, fententia doctorum hoc minus reiicienda eft, quod in ipfis Saxoniae noftrae comitiis confilium eas, in primis fuftigationem, cum perpetua relegatione coniunctam, mutandi, et mares in opera publica, feminas autem, uirgis caefas, in ergaftula condemnandi agitatum fuit, commemorante, et talem mutationem exoptante Chriftiano Iacobo Heilio in libro de Iudice et defenfore in Proceffu Inquifit. Cap. VI, §. III, p. 338, eae tamen hactenus retineri poffunt, quoad, rarius et prudentius adhibitae, bono publico conducunt. Quaecunque enim poenae ad obtinendum eiufmodi bonum ualent, eas non iniuftas cenferi, oportet. Hanc ob caufam poenae modo augeri, modo temperari, modo etiam omitti debent. Parentum perduellium filios nfamia et egeftate puniri, ideo durum quidem uidetur, quia poena debet tenere fuos auctores, et delictum eft meritum perfonale, quod ultra perfonam delinquentis extendi haud liceat. Attamen fi talis poena alios ab atrociffimo hoc crimine deterrere poteft, tantum abeft, ut plane iniufta iudicari debeat, ut eo conuenientior fit cenfenda, quod hoc modo ea, quae uindictam, filiis fere infitam, adiuuare poffunt, uidelicet opes et dignitates, praecidantur, uti hanc rationem cum aliis attulit Io. Frid. Hoecknerus in difp. de poena parentum perduellium, ad liberos perueniente, Lipfiae M DCC VI. Quid, quod, idem ob crimen aedes interdum dirutas fuiffe, fcriptores memoriae prodiderunt, e. g. Liuius lib. II, cap. XLI, Spurii Caffii, perduellionis rei, ideoque de Saxo Tarpeio

peio deiecti, domum, ad memoriam poenae, publice conſtitutae, euerſam eſſe, meminit. Conf. hic Aerodius c. ſupra l. ſ. 371, qui, ob alia inſuper facinora aedes deſtructas fuiſſe, commemorat, quemadmodum Pontifex Romanus, Sixtus V, domum, ex qua duo homines libidinoſi uirginem rapuerant, deiici, atque ad deteſtandum maleficium, in ipſis uigiliis ſanctiſſimi Natalitii commiſſum, ſuper eius rudere raptores in furcam ſuſpendi iuſſit, narrante Greg. Leti in uita huius Pontificis, Italice ſcripta, part. III, lib. I, p. 115. Pari ratione, ubi exempli ſtatuendi neceſſitas, aliaue ratio ciuilis, ſubeſt, poena ad abſentes quoque et mortuos extendi poteſt, eatenus, ut uel executio fiat in effigie, h. e. cognita magiſtratus uoluntate, eiuſque ſententia lata, imago delinquentis a carnifice eodem tractetur modo, quo ipſe praeſens tractari debuiſſet, uel in cadauer ſontis, iam puniti, ob nouum crimen, idque grauius, detectum, noua ſtatuatur poena, uel corpus rei, ante executionem ſententiae, ſiue naturali morte, ſiue uiolenta, extincti, poena, ipſi reo debita, afficiatur, ita docentibus inter alios Anton. Chriſtian. Lubbio in comment. de poenis abſentium et mortuorum, uon Beſtraſung der Abweſenden und Todten, Ienae M DCC XVIII, Adrian. Beyero in diſp. de Cadaueribus punitorum, uon beſtrafften Delinquenten, Ienae M DCC IX, Halae recuſa M DCC XX, Carol. Paull. Hoennio in diſp. de Cadaueribus puniendorum, ſeu de poena corporali mortuorum, Aldorf. M DC LXXXV, Io. Georg. Culpiſio in diſput. de iure circa cadauera punitorum, Gieſſae M DC LXXXIX, Io. Kleinio de executione in cadauere delinquentis, uon Beſtraſung des Miſſethaeters nach ſeinem Tode, quae continetur in uolum. diſput. eius Iurid. no. XXIV, p. 1223, et Henr. de Coccei in diſp. de Iuſtitia poenae, in abſentes, uel mortuos, ſtatuendae, atque in effigie exequendae, Francof. M DCC XI, in tom. II eius exercitat.

p. 1013. Quodſi uero hic finis, quem modo indicaui, non ſubſit, princeps reos uel leuioribus poenis afficere poteſt, uel eiſdem ueniam dare. Nam boni principis eſt in hac quoque officiorum parte, quoad eius fieri poſſit, exemplum prudentiſſimi Proconſulis Romani, Agricolae, imitari, qui omnia ſcire, non exequi omnia, paruis peccatis ueniam, magnis ſeueritatem commodare, nec poena ſemper, ſed saepius poenitentia contentus eſſe, uoluit, teſte Tacito in uit. eius, cap. XIX.

§. V

Quid dubitationis poenae occultae habere uideantur.

Hactenus ea, quae ad pernoſcendam poenae naturam ſpectant, ſatis, pro inſtituto meo, expoſuiſſe mihi uideor. Venio nunc ad poenas, occulte ſumtas. De eiuſmodi poenis, ſi quis ex tribus, quos ſupra attuli, finibus, uidelicet emendatione peccantis, ſatiſfactione laeſi, exemplo in uulgus, ſiue ex unico, ad quem ceteri reduci poſſunt, fine, bono nimirum publico, ſimpliciter exiſtimet, is quidem eas id circo improbare poſſet, quod aliis in ciuitate hominibus parum prodeſſe uideantur. Non occultari, ſed in ciuium conſpectu poni, oportet, poenas, ex quibus illi documentum capere debent, quid ſcelerum flagitiorumque reis ſit extimeſcendum. Namque poenarum fructus omnium maximus pertinet ad exemplum, ut recte iudicat Io. Bodinus lib. I, de Republ. cap. IV. In eadem plane ſententia eſt Fab. Quinctilianus, cum, Quoties, ait, noxios crucifigimus, celeberrimae eliguntur uiae, ubi plurimi intueri, plurimi commoueri hoc metu poſſint. Omnis enim poena non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum, in declam CCLXXIV, f. 471. Ob eamque cauſam non nocturno demum tempore, ut apud Lacedae-

cedaemonios usitatum hoc fuisse, Valer. Maxim. lib. IV, cap. VI, sub finem tradit, sed diurno, Romani pariter, atque alii etiam nunc populi solent, damnatos supplicio afficere, eosdemque publice per theatra, per fora, ad exemplum deductos. Quod Seneca commemorat ita, Hic, (reipublicae praeses ciuitatisue rector) damnatum, cum dedecore et traductione, uita exigit, non quia delectetur ullius poena (procul enim est a sapiente tam inhumana feritas) sed ut documentum omnium sint, et, qui uiui noluerunt prodesse, morte certe eorum Respublica utatur, lib. I, de ira, cap. VI. Itaque, cum supplicium, sceleratis infligendum, homines longe lateque ad spectaculum attrahit, et criminis commissi atrocitas ante eorum oculos uersatur, tum utique efficitur, ut, bonis in obsequio confirmatis, mali a delictis deterreantur. Quodsi leones, in aliquot Africae partibus, prouinciam magno infestantes numero, unius, ex hoc animantium genere, in crucem sublati, publicoque loco expositi, adspectu perterriti, in fugam se coniiciunt, ut Picinell. in Mundo Symbol. lib. V, §. 478, memoriae prodidit, profecto uix fieri potest, quin homines, in homine, seuerius punito, obtutum figentes, concitentur. Patibula, furcae, gabali, gemoniae, rotae, et pilae publica sunt specula, in quae intuentes ad foedum inceptu foedumque exitu uitandum, contra ad rectum bonumque in omni uita tenendum, erudiuntur. Quare Nicol. Rigaltius, Regiae in Gallia bibliothecae praefectus, cum supplicium de aliquo sumeretur, domesticos suos ad illud uidendum misit, eos in scholam abire iubens, Menag. tom. I, f.

deatur. Hinc fit, ut propinqui illius, qui clam interfectus eſt, cum iſtum, quem modo charum habuerunt, praeter omnem opinionem e conſpectu ſublatum, ſentiant, iuſtas conquerendi cauſas ſe inueniſſe, putent. At non uita ſolum, ſed etiam magna, qua forte floruit, fama priuatur, et in eius ſplendidiſſimam familiam ſaepius maxima infertur ignominia. Sic punientis etiam principis minuitur fama, cuius tamen ſtudium ei commendatiſſimum eſſe debeat. Praeclare in hanc ſententiam diſſerit auctor anonymus Politici Chriſtiani, Gallice deſcripti (Politique tres chrétien) p. 136, ubi uerba, Latine reddita, haec fere ſunt, Iuſtitia libera eſt; et publica eſſe debet ad exemplum Talis autem occultatio (poenae) unicuique occaſionem praebet, pro eo, atque animi fert impetus, iudicandi, et ſaepius id, quod honeſtati eſt conſentaneum, pro crudelitate habetur. Factum publicum inſtar exempli eſt, occultum uero non niſi querimoniam excitat. Quapropter Princeps, ad amouendam ſuſpicionem, praecidendaſque querelas, publice poenas exequatur. Intellexit hoc Ioannes de Vega, Prorex Siciliae, qui, cum femina Palermitana, centum millia aureorum offerens, ſupplicium, de marito in loco publico ſumendum, deprecaretur, recuſatis illico nummis, reſpondit, Iuſtitia non habet locum, niſi in publico fiat loco, Gracian. in libro, quem Hiſpanice inſcripſit Agudeza, diſcurſ. XXX. Denique, ſi quis clam ad ſupplicium datur, ea, quae commeruit, morte digna, libere et in conſpectu multorum hominum, priuſquam ad mortem ducatur, confiteri nequit, cum tamen multitudinis interſit, ſcire, utrum merito plectatur, an indigna perpetiatur. Qua de cauſa apud ueteres Francos haec fuit conſuetudo, ut rei damnati, priuſquam ſupplicio fuerint traditi, ad concionem ſacram ducti, crimina, a ſe commiſſa, coram Deo et hominibus confiterentur,

prout

prout ex Sigiberto id probat Io. Nic. Hertius in Notit. Regn. Fanc. ueter. cap. V, §. L, in Vol. II dissertat. eius, p. 429. Tametsi uero quidam, adhuc magna harum aliarumue rationum momenta, quibus sententiam meam infringant, se habere, existiment, grauissimae tamen mihi suppetunt causae, quibus, interdum poenas occulte sumi, oportere, efficitur, uti mox declarabo.

§. VI

Quo fundamento poenae occultae nitantur.

Cum igitur poenas in certis casibus occulte sumi et posse et debere, nunc probare instituam, ante omnia generale proponendum est fundamentum, quo tales poenae nitantur. Hoc fundamentum est prudentia ciuilis, h. e. facultas animi actiones omnes ad conseruationem ciuitatis, seu status ciuilis, ita dirigendi, prout res consequentes, aut circumstantes, poscere uidentur. Longam ac perinde operosam huius prudentiae descriptionem habet uir πολιτικώτατος, Io. Henr. Boeclerus in dissertat. de Historia, Principum Schola, §. IX, in differt. eius Academ. uol. I, p. 115, ubi ex Cicer. lib. II, de Inuent. cap. III, tres eiusdem prudentiae partes, Memoriam, Intelligentiam, et Prouidentiam, ita exponit, ut, Memoriam ex euentuum copia, tanquam ex thesauro, prudenter tractando, exempla et rationes depromere, Intelligentiam uero de praesentibus, accurate penitusque perspectis, rectissime ac uerissime iudicare, Prouidentiam denique futura ex praeteritis et praesentibus callidissime

ait, munera prudentiae requiruntur et praeteritorum memoria, et intelligentia praesentium, et prouidentia futurorum. Hasce tres prudentiae partes nonnulli appellant tres oculos, quorum primus ad praeterita, secundus ad praesentia, tertius ad futura dirigitur, adeoque prudentia tria simul tempora obseruat, suaque iudicia et instituta cum conditione eorundem conformat. Alii autem doctores, ueluti Philaretus, seu, uero nomine, Io. Clericus, lib. I, Ethic. cap. XII, p. 289, et quodammodo Arnold. Geulinc, in tract. VI Ethic. p. 393, quatuor statuunt prudentiae partes, Attentionem, Circumspectionem, Prouidentiam, et Discretionem. Attentio, aiunt, pertinet tum ad leges et instituta Reipublicae, tum ad facta praeteriti temporis, tum denique ad perpendenda rerum agendarum momenta et pondera, ne quid uiribus impar suscipiatur, aut, quod temere susceptum est, cum dedecore et damno intermitti, oporteat. Circumspectio in considerandis hominum rerumque attributis, seu uulgo circumstantiis, uelut personis, modis, temporibus, et locis, uersatur, utpote quae ad diiudicandas aestimandasque actiones plurimum ualent. Prouidentia actionis euentum, atque adeo, quid eam suscepturo aliisque inde futurum sit, prospiciendo se exerit. Discretio denique in distinguendis bonis et malis, maxime in eis, quae speciem duntaxat boni prae se ferunt, excutiendis, et omnino in bono deligendo fine, tenendaque eius consequendi uia et ratione idonea occupatur. Talem igitur prudentiam adhibere debet imperans, si poenam, qualiscunque fuerit, ad bonum publicum, quippe finem poenae praecipuum, supra propositum, siue ad ciuitatis suae salutem, referre studet. Etenim salus populi lex prima et summa est, ad quam ceteras omnes referri, oportet. Quicquid conseruandae reipublicae conducit, id iustissima nititur ratione, e contrario, quicquid

quid detrimentum ei affert, id iniquum merito cenſetur. Reipublicae demum ratio et utilitas eſt illa conſiliorum factorumque omnium norma et regula, quae hominibus politicis et pragmaticis Ratio ſtatus, uulgari quidem nomine, in meliore tamen ſenſu, dici conſueuit, ut recte docet Hermann. Conringius in diſſertat. de Ratione ſtatus, §. VII. Proinde, ut gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori uictoria, ſic moderatori Reipublicae beata ciuium uita propoſita eſt, iudice Scipione, apud Cicer. libr. VIII, epiſt. ad Attic. ep. XI. Quemadmodum uero et gubernatori, et medico, et imperatori conuenit, ut, quae ad ſuum quiſque finem neceſſaria ducit, ea conſulto prudenterque agat, ita moderatori etiam ciuitatis, cum in negotiis quibuſcunque gerendis, tum certe in ſtatuendis poenis, tali opus eſt prudentia, qualem omnibus ex partibus deſcripſi. Tria utique conſideret, neceſſe eſt, praeterita quidem, ut, quid poena, hoc alioue modo ſumta, effecerit, quale commodum, quale damnum, attulerit, uel uſu et experientia edoctus, uel hiſtoria rerumue ueterum memoria inſtructus, ſciat, praeſentia autem, ut, quas poenas natura et indoles hominum, ſibi ſubiectorum, itemque rerum circumſtantium et conſequentium ratio, poſtulet, probe habeat perſpectum, futura denique, ut, quae bona, quae mala, ex poenis euenire poſſint, proſpiciat, eoque ſua referat conſilia, quoad eius fieri poſſit, cum homo facile in errores labatur, et ſaepius, optime cogitata peſſime cadere, ſentiat, plane autem omnia prouidere, et prouiſa ſapienter adminiſtrare, ſolius Dei ſit proprium. Quod ſi igitur

§. VII

Quaenam sunt causae earum singulares.

Sed cum praecipuae causae, cur ex ratione status poenae, modo a me descriptae, interdum occulte constituantur, afferendae sint, in iis persequendis nunc operam curamque meam pono. Animo igitur complector insignem uirum, in aula uersantem, et magnorum criminum reum. Si hic uel gloria maiorum, uel sua auctoritate et potentia, uel cognatorum affiniumque necessitudine, uel amicorum coniunctorumque societate, uel populi studio et fauore, in eadem maxime floret, uerendum est, ne regnum, si damnatus in conspectu populi detur ad supplicium, tumultu perturbetur. Etenim plebeiorum suppliciis aliorum audaciam terreri, insignium hominum caede accendi, uere indicat Illustris Christophorus Forstnerus, in not. ad lib. II, Taciti Annal. Cap. V, ad uerba, Ceterum Tiberio haud ingratum accidit, p. 218, ubi Ferdinandi, Ducis Albani, Gubernatoris Belgici, imprudentiam coarguit. Nam Egmondanum et Hornanum, Belgii proceres, quos populus charissimos habebat, medio in foro, et in conspectu populi, capite multauit. Idem Forstnerus iam antea in not. ad lib. I, cap. X, ad uerba, Proscriptionem ciuium, cetera, p. 53, hoc Albani factum reprehendit, Ferdinandus, inquit, Albae Dux, Belgarum procerum primos, Egmondanum et Hornanum, capite plexit, arbitratus, nihil ausuram plebem, principibus amotis. Quam autem infeliciter successerit hoc consilium, nouit orbis. Prudentius olim Vitellius Iulium Ciuilem periculo, quod ei ab iratis militibus impendebat, exemit praepotentem inter Batauos, inquit Tacitus lib. I Histor. cap. LIX, ne supplicio eius ferox gens alienaretur. Ecce domesticum huius gentis exemplum, quod utinam secutus esset Albanus. Athenarum

narum Dux a Florentinis ad ordinandam rempublicam suam uocatus, cum iisdem insisteret modis, per seditionem urbe pulsus est, Leonard. Aretin. Scipio Ammiratus in historia Florentina. Nicolaus Corrariensis supplicio Conradi Vigontii, exulis quidem, sed praeualidi clientelis in urbe Patauina, animos ciuium ita exasperauit, ut uocato Cani Scaligero urbem tradiderint, Io. Bapt. Pigna IV, histor. Asestin. Sic Forstnerus, qui idem repetit iudicium in not. ad lib. XI, Cap. XIX, ad uerba, Caede eius motae Chaucorum mentes, p. 96. Pari modo Famian. Strada, Decad I, de bello Belgico, lib. VII, p. 328, Albani factum tam crudele, quam temerarium memoriae prodidit. Commemorat, hos duos Belgarum proceres tristem habuisse uitae exitum. Capite enim in foro plexi, et utriusque capita geminis praefixa pilis ferreis, quo mors eorum testatior esset, per duas horas populo fuerunt spectaculo. Nec praetermittit, fuisse quosdam, qui, acria illa Belgarum studia, execrationemque Albani nominis animaduertentes, affirmarent, ea caede stabilitas tunc primum esse foederatorum partes, praesagirentque, breui Belgium omne tumultibus, contra quam Albanus existimauerat, inuoluendum. Postremo his utitur uerbis p. 329, Et sane ab aliquibus haud dubitatum est, quin consultius egisset Albanus, si, clam punito Egmontio, non eam scenam ac pompam ingratae nimium populo tragoediae conquisisset. Etenim male admouentur oculi spectando illius supplicio, cuius causam commiseratio meliorem facere uideatur. Eodem supplicio Egmondanum et Hornanum affectos esse, grauissimus rerum explicator, Iacob. Aug. Thuan. lib. XLIII Histor. ad A. MDLXVIII, f. 875, b, commemorat, dicens, Quare magnus populis illis terror ad praesens iniectus, sed qui temporis tractu

hanc ſententiam accedunt etiam alii ſcriptores, uelut Chriſtian. Matthiae in Theatro Hiſtor. p. 1096, b, ubi primum commemorat ſupplicium, de Comitibus Egmondae atque Hornae ſumtum, tum mentionem facit crudelitatis Albani, tyranni magnaeque animi ferocitatis, qua, octodecim millia Belgarum paucis annis carnifici ſe tradidiſſe, temere gloriatus eſt, poſtremo haec addit uerba, At qualem fructum haec crudelitas habuit. Hunc certe, ut pleraeque Belgicae prouinciae, ad extrema redactae, Regem ſuum, ceu tyrannum immanem, omni imperio indignum iudicantes, arma contra eum animoſiſſime ſuſciperent, Wilhelmum, Principem Vraniae, Heroem et bellatorem fortiſſimum, rebus ſuis praeficerent, ſeque ſuo marte in libertatem uindicarent, cetera. Quid, quod Philipp. Brietius, etſi Loioliticae addictus ſit ſocietati, in Annal. Mundi, ſeu Chronic. uniuerſ. tom. VII, p. 333, ſcribere non ueretur, Egmondano et Hornano, Comitibus, publici ſerui manu, Bruxellis demeſſa capita, lugentibus omnibus, et iis maxime, qui Sanquintini praelii meminiſſent, Egmondani quoque Secretarium quadrigis laceratum eſſe, alioſque fautores eius igne crematos, tanto Albani odio, ut uulgo Buſiris Belgicus appellaretur. Praeterea Traian. Boccalini in Centur. II Relat. cap. XLIV, fingit, Albanum ob tale ſupplicium in Parnaſſo coram Apolline, ad cauſam neglectae prudentiae dicendam, comparere debuiſſe. Pleniorem, eamque germanicam, ſupplicii Egmondani et Hornani deſcriptionem exhibet nobis Chriſtophor. Boetius in lib. Groſſer-Staats und Kriegs-Miniſter Glücks-und Unglücks-Faelle no. VII, et VIII, p. 59. ſeqq.

§. VIII